



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XXII. De Psalmis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

## TITULUS XXII.

## DE PSALMIS.

**I.** Psalmi *b.* in Officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis & Ferijs dicuntur eo modo, quo distributi sunt in Psalterio; nisi aliquando aliter in Proprio de Tempore signetur. In Festis autem dicuntur, ut in Proprio loco signantur; alioquin, ut in Communi Sanctorum.

**B.** Hos tantopere æstimavit S. Augustinus 28. *dist. qua* *ipsis*, ut dicere ausus sit, nomen Sacerdotis vix in eo constare, qui Psalterium (id est, librum Psalmos continentem) ignorat. De ijs fufius agens Gavantus l. 5. c. 6. c. 8. sex diversa capita ait explicanda venire, scilicet Vocabulum, Auctorem, Materiam, Ordinem, Cantum, Usum. *Vocabulum* quod attinet, Psalmus Græcis, idem Latinis significat, quod Cantus sive Sonus, qui fit manibus, pulsato Psalterio; aut etiam voce juxta illud Psalmi 33. *Bene psallite ei in vociferatione.* Vnde ferè idem est, quod Hymnus. *Auctor* eorum primarius est Spiritus Sanctus, secundarius David juxta S. Chrysostomum S. Augustinum, & alios. *Materia* Psalmorum est, ut sint quasi Compendium totius S. Scripturæ; quidquid enim Moyses vel in Historia tradidit; vel in Lege præcepit; & quidquid Prophetarum reliqui, vel exhortando ad virtutes, vel prædicando futura scripserunt, id ferè totum in Psalmis comprehenditur, ut Bellarminus & alij apud Gavantum l. c. n. 13. notant; præcipuè tamen *Laudes & Preces* divinas continet. *Ordo* triplex est, 1. *Historicus*, quo scilicet tempore quivis Psalmus sit compositus; & hic ordo difficulter haberi potest; hoc solum constat, omnes ante annum Mundi 3020. quo David mortuus est, compositos esse. 2. *Biblicus*, qui in Sacris Biblijs habetur, & juxta triplicem viam perfectionis in tres Quinquagenas divisus videtur, ut prima ad incipientes, secunda ad proficientes, tertia ad perfectos pertineat. 3. *Ecclesiasticus*, qui ab Ecclesia observatur, & in Breviario notatur; juxta quem Psalmi in Matutinales & Vespertinales dividuntur. *Cantus* ab Apostolis inchoatus, ab

initio modico flexu vocis constabat, sed paulatim auctus est, præsertim à S. Athanasio, ut S. Augustinus l. 10. Conf. c. 33. insinuat. *Alternus* autem S. Ambrosio præcipuè tribuitur, & significat alternam Sanctorum ad bene operandum exhortationem. *Vsus* eorum potissimus est, ut Ecclesia per eorundem DEVM & Sanctos illius condignis Laudibus honoret, eorum Festa cum majori solemnitate celebret, variâsque ab ijs gratias ac beneficia petat, & impetret.

II. Psalmi ad Laudes de Dominica cum Canticis *Benedicite* dicuntur in omnibus Festis per annum, & in Ferijs Temporis Paschalis.

III. Psalmus *Confitemini* dicitur ad Primam cum alijs Psalmis in Psalterio assignatis (quando Officium fit de Dominica, ut in Psalterio, c. etiam in Dominicis, quæ occurrunt infra Octavas Sanctorum) à tertia Dominica post Pentecosten inclusivè usque ad Nativitatem Domini exclusivè: & à secunda Dominica post Epiphaniam usque ad Septuagesimam exclusivè: à Septuagesima autem usque ad Pascha ejus loco dicitur Psalmus *Dominus regnavit*, quia Psalmus *Confitemini* tunc dicitur ad Laudes post Psalmum *Miserere*, ut suo loco ponitur. In Dominicis verò Temporis Paschalis, à Dominica in Albis inclusivè usque ad Ascensionem exclusivè dicuntur tantum tres Psalmi, sicut in Festis, addito Symbolo Sancti Athanasij. Alij Psalmi per singulas Feras distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi *Confitemini* in Feriali tantum Officio, quando de Fera agitur extra tempus Paschale. In Ferijs verò temporis Paschalis, in Festis per annum, & in Sabbato, sive de S. MARIA, sive de Fera fiat Officium, dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet *DEVS in nomine*, *Beati immaculati*, & *Retribue*, etiamsi Festum Duplex celebretur in Dominica.

C. Nam quædam Dominicæ, nempe infra Nativitatem, Epiphaniam, Ascensionem, Corporis Christi non habent Officium ex Psalterio, sed proprium.

IV. In Dominicis autem, quando Officium fit de Dominica, ut in Psalterio, post Psalmos semper additur Symbolum S. Athanasij *Quicumque*, ut infra in propria Rubrica dicitur.

V. Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam & Nonam, & ad Completorium nunquam mutantur, ut in Psalterio, sive de Sanctis, sive de Tempore fiat Officium.

VI. Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis Festorum, excepto ultimo, qui mutatur; cum verò aliter fieri debet, suis locis notatur. In Vesperis infra Octavam dicuntur Psalmi, ut in secundis Vesperis Festi; sed in primis Vesperis diei Octavæ dicuntur, ut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur.

VII. In fine Psalmorum semper dicitur *Gloria Patri d.* præterquam in Psalmo *DEVS, DEVS meus*, ad te de luce vigilo, & in Psalmo *Laudate Dominum de cælis*, e. qui conjunguntur cum alijs Psalmis, & in fine ultimi tantum dicitur *Gloria*, ut suis locis notatur. Præterea non dicitur in triduo Majoris Hebdomadæ f. ante Pascha, nec in Officio Defunctorum, g. cujus loco pro Defunctis dicitur *Requiem æternam dona eis, Domine*, etiamsi fiat Officium pro uno tantum.

D. Ex institutione S. Damasi, ut in ejus Festo legitur; ad cujus imitationem S. Ambrosius in Hymnis etiam similem Laudem de SS. Trinitate addidit.

E. Quibus etiam Psalmum 149. *Cantate* adde.

F. Quia tunc SS. Trinitas visa est obscurari, ait Gavantus n. 12.

G. Quia

G. Quia hic Versus est lætitiæ, atque adeò non convenit tristi Defunctorum Officio.

VIII. Ut Sacræ vulgatæ editionis puritas inconfusa & illibata servetur, etiam quoad interpunctiones & distinctiones in Sacris Biblijs appositas, additus est Asteriscus, ut in nota Musicæ partitionis in medio Versu.

### TITULUS XXIII.

#### DE CANTICIS.

I. **C**Antica *h.* dicuntur in Officio in Tempore *h.* tam de Dominica, quàm Ferijs ad Laudes, Vesperas, ad Completorium, ut in Psalterio distribuuntur.

*H.* Quod Euthemius in eo à Psalmo distingui putat, quod Psalmus sit carmen cum instrumento Psalterij, Canticum autem vox Musica cum Harmonia solo ore prolata. Mystice verò, juxta Gavantum f. 5. c. 9. n. 1. Psalmus bona opera, Canticum gratiarum actionem significat.

II. In Festis & tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum *Benedicite*, ut in Dominicis, & in fine ejus non dicitur *Gloria Patri*, sicut in alijs Canticis dicitur, nec respondetur *Amen*. Alia Cantica Ferialia ut in Psalterio, ad Laudes non dicuntur, nisi quando Officium sit de Feria extra tempus Paschale.

III. Canticum *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis* semper dicuntur suo loco, ut in Psalterio. *i.*

*l.* Quæ, quia ex Evangelio deprompta sunt, Evangelica vocantur, ac propterea ad initium eorum aliqui, sicut ad initium Evangelij, signum Crucis formant, quemadmodum etiam Episcopo ad *Magnificat* in Cæremoniali Episcoporum l. 2. c. 1. præscribitur.

TITU-